

Perfectio A

Altior professio virtutis altiore debet tenere viam vivendi.

Glossa.

Perfectio A (2)

In plenitudine caritatis proprie preceptum illud impletur: Diliges Dominum Deum et cetera. Nam cum adhuc est aliquid carnalis concupiscencie quod concipiendo frenetur non omnino ex tota anima diligitur Deus.

Augustinus in libro de perfectione iusticie.

Perfectio B

Cur non precipitur homini ista perfectio? Quamvis eam in hac vita nemo habeat non enim recte curritur; si quo currendum est nesciatur, quomodo ergo sciretur si nullis preceptis ostenderetur?

Augustinus ibidem.

Perfectio C

Si vis perfectus esse, tu qui perfectum te esse pollicitus es? Quid aliud quam perfectam sectatus es vitam? Perfectus autem servus Christi nichil preter Christum habet, aut si preter Christum habet, perfectus non est, cum se perfecte Deo sit pollicitus aut mentitus est. Os autem quod mentitur occidit animam. Igitur ut concludam, si perfectus es, cur bona paterna desideras? Si perfectus non es, Dominum fefellisti.

Hieronymus in epistola ad Theodorum monachum.

Perfectio D

Vende omnia et cetera. Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi post contemptas divicias salvatorem sequatur, id est relictis malis faciat bona. Facilius enim sacculus contemnitur quam voluntas.

Hieronymus ibidem.

Perfectio E

Hec est in omnibus sola perfectio: sue imperfectionis cognicio.

Hieronymus in epistola ad Theofuntem.

Perfectio F

Plerumque hi quos iam perfectos homines estimant adhuc in oculis summi opificis aliquid habent imperfectionis. Sic sepe imperiti homines nedum perfecte sculpta sigilla conspiciamus, et iam quasi perfecta laudamus, que tamen adhuc artifex considerat et limat, laudari iam audit, et tamen ea tandem meliorando non desinit.

Gregorius libro 4. dialogorum.

Perfectio G

Tanto quisque perfectus est, quanto perfectius sentit dolores alienos.

Gregorius in homelia.

Perfectio H

Mons altitudinem virtutum signat ad quam angelus hortatur, qui non vicerit se posse consendere. Melius est ut in segor, id est in parvula remaneat contentus laicali et communi vita, quam montem virtutis arripiat et ad secularia redeat. Est civitas hec iuxta et cetera. Iuxta dicitur et tamen ad salutem tuta, quia activa vita est, nec a mundi curis ex toto discreta, nec a gaudio eterne salutis aliena.

Gregorius super illud Genesis 19: In monte te salvum fac.

Perfectio I

Onus oneri additur et minus onerat, et sic oneri gravissimo legis accedens quadriga ewangelii et auxit perfectionem et minuit difficultatem.

Bernardus in quadam epistola.

Perfectio K

Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit, et in eo perfectiorem quisque se probat, quo ad maiorem tendit perfectionem.

Bernardus in quadam epistola.

Perfectio L

Bonum acquirit gradum qui bene ministraverit, meliorem forte qui bene vacaverit Deo, optimum autem qui perfectus est in utroque.

Bernardus in sermone.

Perfectio M

Deo a quo nos sumus facti redeamus nec dominari nobis ea quibus sumus naturaliter prepositi permittamus, dominetur viciis ratio, subiiciatur corpus animo animus Deo, et impleta est tota hominis perfectio, ut sicut vivencia vita carentibus sensibilia non sencientibus, immortalia mortalibus racionando preponimus, ita bene vivendo voluptuosus utilia utilibus honesta, honestis sancta, et sanctis omnia perfecta preferamus.

Prosper libro 3. de vita contemplativa.

Perfectio N

Si vis perfectus esse et cetera. Ille qui mutavit pro divitiis paupertatem ut fieret perfectus, non in ipso tempore quo tradidit bona sua pauperibus fiebat omnino perfectus sed ex illa die inceptit speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes.

Origines super illud Matthei 20. capitulo.

Perfectio O

Fiat voluntas tua. Voluntas Dei est quam Christus et fecit et docuit, humilitas in conversacione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iusticia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse et factam posse tollerare cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater est, timere quod Dominus est, Christo nichil omnino preponere, quia nec nobis quicquid ille preposuit.

Cyprianus epistola 5. de oracione dominica.

Perfectio P

Ieiunia, vigilie, meditacio scripturarum, nuditas ac privacio omnium facultatum non perfectio sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit discipline finis, sed per illa pervenitur ad finem.

Abbas Moyses in collacionibus patrum collacione 5.

Perfectio Q

Sunt qui ewangelicam perfectionem simulate potius quam in veritate arripere volunt, eorum scilicet laudibus provocati qui universis divitiis mundi perfectam Christi preferunt nuditatem.

[Ibidem] collacione 6.

Perfectio R

Miserum est cuiuslibet artis ac studii disciplinam quempiam profiteri et ad perfectionem eius minime pervenire.

Abbas Iohannes in collacione sua.

Perfectio S

Ad finem debet perducere que prudentum intencio visa est suscepisse, quia sicut perfecta laudem pariunt, ita et vituperacionem generant que in mediis conatibus egra deseruntur. Defectus enim rerum aut consilium titubare aut vires arguit defuisse.

Cassiodorus libro 4. epistolarum epistola 31.